Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36550
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

105

bant in animabus nostris. ne ultra regnet in nobis peccatum. ut perdat quae interimit regem pec-
cati de civitate animae nostrae. fiat anima nostra civitas dei. et regnet in ea deus. et dica-
tur ad nos. quia ecce regnum dei intra vos est. Est ergo opus summe misericordie hoc quod heretici
crudelitatis accusant. quod dominus iesus adumbratus per iesum filium nave per singulas
quasque civitates. nunc in veritate per singulas quasque animas credentium complet. ut quae
possidebantur a malis et pessimis regibus secundum principem mundi huius aeris spi-
ritibus. qui nunc operantur in filiis diffidentiae. expulsis his et peremptis faciat eas dig-
nas fieri habitaculum dei. et sancti spiritus templum. ut membra quae servierant sub rege
iniquo iniquitati ad immunditiam. nunc serviant iustitiae in sanctificationem. Sic ergo intel-
lige quod interfecit iesus regem hiericho. et regem geth. et regem lebna. et regem
lachis. et regem chebron. ut istae omnis animae quae ante sub regibus pessimis pecca-
ti legem colebant. nunc sub legibus dei agant. Sed et de ipsis interpretationibus nomi-
num si curiosius aut diligentius perscruteris. invenietur significantia nominum.
nunc ad mali regni. nunc ad boni intelligentiam posse conferri. ut puta lebna
candor interpretatur. Candor autem diverse intelligitur. Est enim candor leprae. est
candor lucis. Possibile enim est et nominis ipsius interpretatione. utriusque status diffe-
rentiam indicare. ut candorem quidem leprae habuerit lebna sub regibus malis.
quo destructo atque subverso. cum ad israheliticum regnum pervenit lebna. candorem
lucis accepit. quia candor in scripturis et laudabilis et culpabilis ponitur. Et
rursum lachis interpretatur iter. Iter autem et laudabile et culpabile habetur. Quod diffici-
le non est probare. sicut dixit in psalmis. et iter impiorum peribit. et alibi e contrario. iter rec-
tum facite pedibus vestris. Potest ergo intelligi et hic quod iter impiorum fuerit primo lachis
civitas. quo subverso atque destructo. per modum israheliticis regnantibus ad iter perducta
sit rectum. Similiter autem et chebron quae interpretari dicitur coniunctionem vel con-
iugium. Coniunctio vero animae nostrae fuit primo cum malo viro et marito pessimo
diabolo. quo destructo et extincto liberata est anima a lege prioris et pessimi
viri. et coniuncta est viro bono et legitimo. illi de quo dicit apostolus paulus. Statui
autem vos uni viro virginem castam exhibere christo. Si ergo et nominum ipsorum intelligen-
tia ad geminum hunc uniuscuiusque civitatis consonat statum. ego puto quod melius
est sic intelligere bella israhelitica. et quod sic piari melius iesus putetur. et destrue-
re urbes ac regna subvertere. Sic enim et illud dictum religiosius et clementius
apparebit. quod dicitur ita subvertisse et vastasse singulas quasque urbes. ut nichil
in eis relinqueret quod spiraret. neque qui salvus fieret. neque qui effugeret. Utinam